

ibidem S. Petro consecravit. Cumque locus esset palustris, *immaniſſimos lapides* (ut scribit Robertus ille) *in fundamentis jecit, quales octo boum paria vix unum traherent, quod nos vidimus cum monasterium esset destructum.* Deinceps PETRIBURGVS, PETROPOLIS, *Peterborough, & Burgh* dici cœpit, monasteriumque fuit longe celebratissimum. Verum quibus initiis ac fundamentis extructum fuerit, operæ pretium existimavi è Roberto illo de *Synapham* authore satis vetusto paucis perstringere. Peada filius Pendæ, qui primus Christianus Merciorum Rex, anno Salutis DC LVI, ad propagandam Christianam religionem fundamenta monasterii ad *Medeshamsted* in Girviorum regione jecit, quod malis uxoris artibus sublatus perficere non poterat. Peadæ successit Wolpherus ejus frater, qui cum à Christiana religione averſissimus esset, Wolphaldum & Rufinum filios barbara immanitate trucidavit, eo quod Christo se addixissent, ipse autem paucis post annis Christianam religionem amplexus, ut hanc suam impietatem pio aliquo opere elueret, monasterio à fratre incepto manum admovit, quod ope Etheldredi fratris, Kineburgæ & Kineswithæ fororum perfectum an. DC XXXIII S. Petro consecravit, (unde locus *Petriburgus* dici cœpit) amplissimis proventibus ditavit, Sexwulfumque virum admodum pium (qui præcipuus operis suafor erat) primum Abbatem instituit. Floruit deinceps hoc monasterium magna sanctitatis opinione annos plus minus CCXIII ad gravissima illa Danicæ devastationis tempora, tunc enim monachi interfecti, & monasterium funditus everſum suis ruderibus annos CIX quasi inhumatum jacuit. Tandem circa annum DCCCCXL, Ethelwoldus Episcopus Wintoniensis, qui in re monastica promovenda totus erat, restaurare cœpit, auxilio inprimis Eadgari regis, & Adulphi regis Cancellarii, qui pœnitentia ductus, quod filiolus, quem unicum habuit, ab eo, & uxore in somno suffocatus esset, universas opes ad instauracionem hujus monasterii effudit, mundo valedixit, & instaurati monasterii factus est Abbas. Iam inde multis opibus, & magnis privilegiis celeberrimum fuit, licet regnante Guilielmo Normanno, Herwardus Anglus proſcriptus ex Eliensi insula congestas opes deprædatus fuerit, contra quem *Mont-Turold* castrum, Turoldus Cœnobiarcha posuit: opulentissimum tamen usque ad patrum memoriam censebatur. Tunc enim ubique monachos exturbavit Henricus Octavus (causatus quod à sanctorum illorum, & veterum monachorum curriculo, & spatio deflecentes, bona ecclesiæ quæ pauperum patrimonium erat, luxu absumerent (& episcopum qui huic agro, & vicinæ Rutlandiæ præſſet, Decanumque & Præbendarios hic constituit. Ita ut è monasterio facta sit ecclesia Cathedralis, quæ, si structuram spectes, est ipsa antiquitate pulchra, frontispicium majestate plenum, claustra satis magna, in quorum vitreis fenestris historia Wolpheri fundatoris cum Abbatum successione exhibetur: Sacellum B. Mariæ amplum & operosum, chorusque speciosus, in quo duæ, si quæ aliæ, infœlicissimæ Reginæ Catharina Hispana, & Maria Scota sepultæ ærumnarum requiem invenerunt.

Mont-Turold.

Sub Petriburgo *Aufona* sive *Nen*, qui à fontibus jam quadraginta quinque plus minus miliaribus dilapsus, & secum omnes rivulos & advenas ex imbribus aquas in suum alveum admittas devehit, varie distrahitur. Cumque viam non inveniat, plana regionis longe lateque superinfusus aquis hiberno tempore, & aliquando majorem anni partem ita supernatat, ut vasta æquorum planities cum pauculis extantibus insulis videatur. Causam autem referunt accolæ, quod ex tribus alveis quibus tanta vis aquarum derivari solet, primus qui duxit in Oceanum per monasterium de *Thorney*, & inde seorsim per *Clovescrosse*, & *Crowland*, & alter per incile Mortoni Episcopi Eliensis *The New-leame* dictum, & *Wvisich*, jam diu fuerint neglecti, quodque tertius, qui per *Horsley-bridge*, *Wittlesmer*, *Ramsen-mere* & *Salterload* descendit, tantarum aquarum sit minime capax, unde in adjacentia gravius erumpunt. Peccatumque æque ab illis conqueruntur qui alveos non purgarunt, & qui in privatos usus divertunt, utque Reatini apud Tacitum, afferunt *optime rebus mortalium consuluisse naturam que sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem, ita finem dederit.* Sed de his satis, superque.

Te Fhen-
nes.

Hoc in loco angustissima est regio, inter *Aufonam* enim & *Wvellandum* fl. qui terminus est alter ad Septentrionem, vix quinque interjacent miliaria. Ad *Wvellandum*, qui *Wveolod* Æthelwardo veteri scriptori dicitur, prope fontes *Braybrok* est castellum à Roberto *May* alias *de Braybrok*, qui Regi Joanni intimus fuit, extructum, cujus filius Henricus cum Christianam *Ledet* magnarum opum hæredem duxisset, ejus filius natu major in *Ledettorum* nomen se adoptavit, à cujus è filio nepti altera, ut modo dixi, ad *Latimeros* & per illos ad *Griphinos*, quorum nunc est patrimonium, devenit. Iuxta inter nemora reliquias pauculas Monasterii olim *De Divis* dicti, nunc *Pippwell* vidimus, quod Guilielmus *Buttevillein* Cistertiensibus regnante Henrico Secundo construxit. Inde *Rockingham* quondam Comitum Albemariæ castrum visitur, à Rege Guilielmo *Conquestore*, quo tempore fuit *Vasta*, ut in ipsius Commentario legitur, conditum; vallis, propugnaculis, duplicique pinnarum ordine munitum, collique affixo in nemoroso saltu, qui hinc *Rockingham Forrest* denominatur. Postea *Heringworth*, olim *Canteluporum*, nunc Baronum *Zouch* sedem præterfluit, qui ab Eudone filio minore Alani *de la Zouch de Ashbye* prognati in amplissimam Baronum familiam succreverunt, quibus plurimum honoris accessit ex nuptiis cum una hæredum de *Cantelupo*, & altera Baronis de *Sancto Mauro*, qui etiam ab hærede Domini *Zouchæi de Ashbye*, *Lupellisque* Domini de *Castel-Cary* in Comitatu Somerssettenſi stemma deduxit.

Braybrooke.
Domini de Braybrooke.

Pippwell.

Liber Domestday.
Barones de Zouch.

In hoc etiam saltu *Deane* vidimus, quondam *Deanorum*, postea *Tindalorum*, quæ vel eo nomine memoranda, quod *Brudenellorum* modo sit elegans habitatio, è quibus Edmundus *Brudenell* Eques auratus non ita pridem defunctus, venerandæ antiquitatis summus fuit cultor, & admirator. Familia etiam de *Engayne*, qui antiquæ & honoratæ nobilitatis, hic ad *Blatherwic* (ubi nunc *Staffordi* Equestris dignitatis incolunt, qui genus à Radul-

Deane.

Barones de Engayne.